



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 11. An absolutè loquendo, omittere Sacramentum confirmationis
sit peccatum veniale? & quid si ordines suscipiendi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

vel de quibus dubitatur, v. gr. contactus instrumentorum, vel manuum impositio simul cum prolatione formæ. Probabile est, (inquit Granado) quod viri docti à me consulti opinantur, quovis tempore relicere defectus prædictos supplere. Etenim propriè loquendo, supplere ejusmodi defectus, non est ordinem celebrare, sed potius perficere id, quod tempore ordinationis, imperfectè præstitum est; nec enim repetenda sunt caeremoniæ omnes, aut Sacramentum ministrandum, sicut in diebus ordinum ministrari solet, sed præcisè iteranda saltem sub conditione ea caeremonia, quæ omissa est, v. gr. iterandum contactus instrumentorum, aut quid simile, quod potius est appendix ordinum præcedentium. Hæc Granado, cuius sententiam referens Diana p. 5. tract. 14. resol. 63. inquit: * Improbabilem esse non audeo dicere. *

10. Quibus favent Doctores asserentes in revalidatione matrimoni, quod in facie Ecclesiæ celebratum fuit, sufficere supplere defectum substantialem, & non esse necessarium solemnitates alias adhibere; v. gr. iterum celebrare coram Parocho, & testibus. Quod in matrimonio revalidatione magis videtur urgere, eo quod Parochi, & testium præsentia, ad ejus valorem requirantur, secus tempora, Missæ celebratio, vestes Pontificales, & similes solemnitates ad validam collationem ordinis faci. Nequit ergo negari valdè probabile esse, tam tempora, quam solemnitates omitti posse, in iterata sub conditione celebratione ordinum, supplendo præcisè defectus substantiales, repetendo nimirum sub conditione materiam, & formam Sacramenti: reliqua verò cum ex solo præcepto Ecclesiastico adhibenda sint, & hoc tantum inveniamus expressum pro absoluta ordinum collatione, non levi fundamento, collationem conditionatam non comprehendere, asserere possumus.

11. Rogabis. An, qui ex dubio probabili sui baptismi, iterum sub conditione baptizatur, & ordinatur, teneatur omnes ordines sacros iterum sub conditione recipere? P. Granado tract. 1. de Sacram. disp. 4. nam. 7. & controvers. 5. de Ordine, disp. 6. Leander tom. 1. tract. 1. q. 14. & Diana p. 5. tract. 13. resol. 55. existimant non esse necessarium alium ordinem iterari, præter Sacerdotium & Episcopatum, quia à reliquis non iterandis opinio probabilis de eorum valore sufficienter exultat, & ordo Sacerdotalis, aliis non præmissis, validè suscipitur, ut docent Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 11. sect. 3. §. Tertio de charactere ordinis. Coninch de Sacram. Ordinis, disp. 20. dub. 10. concl. 4. P. Sà, verb. Ordo, num. 25. Vercelli in quæstion. moral. tract. 2. q. 27. num. 11. Diana p. 5. tract. 13. resol. 55. M. Sotus, Sanchez, & alii cum D. Thoma quæst. 33. art. 5. asserentes, Sacerdotem ritè ordinatum, licet alios ordines non suscepit, posse omnium ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtualiter continentur, ut refert Quintanaduennas sup. num. 6.

12. Ceterum licet probabilis existimem cum citatis, Sacerdotium validè suscipi, aliis ordinibus non susceptis, & solum ex præcepto Ecclesiastico, & divino alios Ordines præmittendos. Nihilominus cum hoc definitum non sit, & forsitan character alicuius ordinum, ex ordinatione divina, ut praviam dispositionem necessariò requiritur ad characterem Sacerdotii, sicut character baptismi ad characterem Ordinis (quod si ita evenire contingat, necessariò consequitur nullitas ordinis Sacerdotalis, non præmissis aliis ordinibus, quantumvis opinio probabi-

lior pro valore militet) idè dicendum censeo, omnes sub conditione iterari debere, quoties ex probabili dubio baptismi iterari contigerit, ut bene Quintanaduennas ubi supra. Vide tract. de opinione probabilis, q. 10. §. 2. num. 16. ubi ordinem Sacerdotalem, vel Episcopalem, cuius valor sub opinione sit, iterandum ex præcepto docuimus, ad evitanda inconvenientia ex defectu valoris: quem major etiam probabilitas opinionis, si res ipsa vera non sit, supplere non potest. Unde pro nobis contra Granado, & Dianam ubi supra militat P. Bardi, Vercelli, Suarez, Valentia, Leander, & alii, imò & ipsi Granado, & Diana in inconsequenter loquantur, dissentire non possunt. Ut constat ex dictis loco citato pro iteratione ordinis Sacerdotalis, cuius valor probabilitatis terminos non transgrediatur.

QVÆSTIO XI.

An absolute loquendo, omittere Sacramentum confirmationis sit peccatum veniale? & quid si ordines suscipiendæ

1. Affirmare plures, & graves Doctores: negat verò P. Mascarennas cum aliis tract. 3. de confirm. disp. 4. c. 3. n. 72. fol. 152. Quibus adhæreo. Quia eorum sententia innititur communi Doctorem asserentium, nullum dari præceptum recipiendi hoc Sacramentum. Videatur M. Joannes Martinez de Prado, tom. 1. de Sacram. p. q. 72. dub. 9. num. 15. ubi sic ait: * Asserendum est, nullum dari præceptum, neque divinum, neque humanum recipiendi confirmationem. Ita sumitur ex D. Thom. quæst. 65. ad 3. & q. 72. art. 1. ad 3. & c. Idem docet, & quinque rationibus probat Sotus in 4. dist. 7. quæst. unica. art. 8. & Serra dicitur esse communem, Suarez novem auctores referens: alios decem refert, & sequitur Averla, triginta auctores refert Leander tract. 3. disp. 1. q. 5. & 6. & alii communiter. * Sic Prado.

2. Hoc posito, sic discursum efformo. Per se loquendo nullum datur præceptum sumendi confirmationis Sacramentum, sed ubi nullum datur præceptum, nullum est peccatum, ergo nec veniale. Discursus est legitimus, Idè hanc sententiam tradiderunt viri doctissimi M. Petrus de Ledesma in Sum. 1. p. cap. 8. conc. 3. ubi sic: * No es pecado venial no recibir este Sacramento, aun quando ay oportunidad. Esta conclusion es contra Cayetano, y contra el P. M. Soto, en los lugares citados, la razon es, porque no ay precepto divino, ni Ecclesiastico de recibir este Sacramento, como queda ya determinado, luego no será pecado venial no le recibir. Porque no se haze contra ley ninguna. Esto se confirma, porque de ser util, y provechoso el recibir este Sacramento, no se colige ser pecado venial el no le recibir. Porque el comulgar en cierto día, quando no ay precepto, es cosa util, y provechosa, y con todo esto no es pecado venial el no comulgar. * Sic ille contra M. Sotum, quem de inconsequencia arguere potuisset. Nam ex argumento, quod urget, contra nonnullos contententes, omissionem confirmationis esse peccatum mortale negligentia, placet etiam deducitur, non esse veniale, Verba Soti in 4. dist. 7. quæst. unica, art. 8. §. Et idè, hæc sunt. * At verò isti principium

cipium perunt: quoniam negligentia numquam est excusa (attende) nec culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere: deberent ergo prius constabile esse præceptum, quam negligentiam ostendere esse culpabilem. Nam quicumque quis negligentia in die profecto non audiat sacra, non est illi peccatum, quia non tenetur. * Ergo cum nullo præcepto (secundum ipsummet Sotum, & communem sententiam) quis teneatur hoc Sacramentum suscipere, ejus omisso non erit culpabilis. Erat ipse, ut consequenter loquitur, dicere tenetur.

3. Quapropter hanc etiam opinionem tueretur doctissimus M. Serran 3. p. quæst. 72. art. 8. dub. 1. fol. 263. ibi: * Dicendum est secundum ad recipiendum hoc Sacramentum confirmationis, neminem teneri sub præcepto, per se directè ad hoc obligante. Docent hoc communiter Theologi, præsertim M. Sotus, ubi supra. Et hoc colligitur ex D. Thoma hic ad 4. &c. Probat ut secundum ex autoritate Melchioris Papæ, &c. Tertiò, ad recipiendam confirmationem non tenentur fideles præcepto divino, &c. Nec præcepto Ecclesiastico; nam Ecclesia non cogit, nec determinat tempus ad confirmationis susceptionem; ergo nullo. Hinc sequitur (attende) per se loquendo nullum esse peccatum, etiam veniale, nolle confirmari, nam ubi nullum est præceptum, nullum potest esse peccatum.*

4. Quibus consentit M. Nunno Cabecudo in 3. p. quæst. 72. art. 8. dicens: * Quarta conclusio, Per se loquendo non est peccatum, etiam veniale, non velle suscipere hoc Sacramentum. Patet ista conclusio, quia ubi non est lex; neque prævaricatio; sed ut constet ex præcedentibus, nullum est præceptum in hac parte, ergo. * Et partim consentit M. Prado supra num. 22. & 2. Ubi autores affirmantes committit veniale, cum citatis concordare, contendit admittens, ut veram propositionem asserentem per se, & abstractè considerando, non esse peccatum veniale, regulariter tamen loquendo tale peccatum intervenire. Verum qua parte dissentit, elandicare videtur, quia, nullum dari præceptum recipiendi confirmationem ipse tradit art. 8. cum M. Soto, ejus referens verba, quod * negligentia numquam est culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere * ergo nec venialis regulariter loquendo erit.

5. Quod probabile putat Leander à Sacram. supra tom. 1. tract. 1. disp. 1. quæst. 6. referens Ludovicum de S. Juan, quæst. 1. art. 6. concl. 3. & Granadum tract. 4. disp. 1. num. 4. verba ejus sunt. * An saltem sit peccatum veniale, hoc confirmationis Sacramentum solum ex negligentia omittit? Negant Petrus Ledesma, & Ludovicus de San Juan supra. Et per se loquendo, inquit, hoc ipsum docent Suarez disp. 38. sect. 2. Torreblanca lib. 2. præf. cap. 6. qui etiam pro hac parte refert Sotum, Henriquez, Navarrum, Bonacinam, Egidium & alios.*

6. Denique pro nostra sententia non levè fundamento adduci potest D. Thom. nam quamvis in terminis non disputet, an sit veniale confirmationem omittit, videtur tamen, dum negat esse de necessitate præcepti, planè sentire, esse tantum de consilio, & ad solum augmentum perfectionis requisitam. Vide illum 3. p. quæst. 72. art. 1. ad 3. Ubi de confirmatione, eodem modo, ac de Sacramento ordinis, & matrimonii loquitur: * Omnia Sacramenta, inquit, sunt aliquantulum necessaria ad salutem: sed quedam sine quibus non est salus: quedam verò sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis: & hoc

modo confirmatio est de necessitate salutis. * art. 8. ad 4. loquens de omittente confirmationem, non dicit peccare, sed quod * detrimentum perfectionis pateretur. * Quæ verba, ut et terminis ostendit, tantum importat, nam eadem in præceptis confessionis, & communionis, & etiam confirmationis, aut eorum frequentiam ad perfectionem salutis cooperari, & illa omittente detrimentum perfectionis patitur; illa verò omittit, ut veniale quidem peccatum esse: Ergo idem de confirmatione dicendum secundum D. Thom.

7. Unde faciliè diluitur fundamentum assertum, esse peccatum veniale, eo quod, ut fortassis quædam prodigalitas, se privare tanto fructu Sacramenti, quando quis committit peccatum potest. Quæ quidem ratio nimium probat, quia de nihil, quia eodem modo militat contra confirmationem Sacramentum ordinis, & contra noviter accedentem ad Sacramenta penitentiam, & charitativam, quando commode percipere possunt. Cui se privent horum Sacramentorum fructu, quæ minus est, & fortan major. Sicut ergo in his committitur non dicitur esse prodigalitas spiritualis, nec veniale adesse culpa, eo quod om. illi solum est contra consilium, non contra præceptum; sic in Sacramento confirmationis dicendum est.

8. Nec obstat Canon omnis de consuet. dist. 1. ubi dicitur, quod omnes fideles hoc Sacramentum accipere debent. Nam ut respondet M. Serra, & Sotus supra. Canon citatus, omnis, non habet formam præcepti, sed solum determinat, ut divinum, quod est, ut non sit simpliciter necessarium, sed utile. Et hoc significat verbum illud debent, non præceptum. * Hæc Serra ex Soto, cui consonat M. V. Sotus in de consuet. num. 143. fol. 118. ubi ait: * Hoc verum debet, non dicit præceptum. * Et ex præf. M. Nunno ubi supra, conclus. 3. dicens: * Hæc verba (neque debent suscipere) non important præceptum, sed tantum solum consilium, quod committitur non se privandi fructu spirituali Sacramentorum, quando commode percipere possunt. Et quibus concludo, secluso contemptu, nullum esse peccatum, etiam veniale, omittit Sacramentum confirmationis, quod tamen ab autoritate Doctorum id defendentium, tum à ratione superius detecta efficaciter suadetur.

9. Major est difficultas, an sit præceptum, sub lethali obligans suscipere confirmationem, ad recipiendos ordines? Nam Trident. sess. 23. cap. 2. præse decernit, quod * prima tonsura non immittitur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint. * Ex quibus non pauci deducunt, esse lethales ordines saltem majores, ante confirmationem recipere, quia verba Concilii continent prohibitionem recipiendi ordines, non præmissa confirmatione.

10. Nihilominus contraria sententia multum valet, quam tenent plures, & graves Magistri, qui citatos sequitur Leander à Sacram. tract. 3. disp. 3. art. 8. dicens: * Sed probabilis responso, non potest mortaliter, sed venialiter tantum, quia non tenetur contra aliquod præceptum ad mortale obligari. * In verbis Concilii nil præcipitur iniuriandi, sed præcipitur, quod facere debent. Sic Sotus, Victorius, Bartholomæus de Ledesma, &c. * An vero Episcopus graviter delinquit? Negant plures apud Leonardum cum ibi, tum quæst. 9. asserentes, necesse Episcopum ordines conferre non confirmatis, quæ

care mortaliter, inter quos M. Sotus, Navarrus, Torrelblanca, Victoria, & alii, quos sequitur Diana p. 8. tract. 1. resolut. 4.7. & p. 10. tract. 11. resolut. 14. & p. 11. tract. 2. resolut. 17. Quibus adde M. Serra ubi supra fol. 26, dicentem: *Ita sentire Navarrum, & alios recentiores, & ad verba Concilii, inquit, respondent. ibi nil præcipi iniunctis, sed præscribi Episcopis, quod facere debeant, quamvis nec stricta aliqua obligatio imponatur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur. *Idem sentiunt plures alii. *Quæ omnia (inquit M. Prado supra num. 26.) probant in hoc puncto, quemlibet posse in suo sensu abundare.*

11. Sed rogas, an saltem sit peccatum veniale. Et ratio difficultandi est, quia, ut fatentur auctores citati, in Concilio non est præceptum, nec ex alio capite adducitur, ergo qui ordinatur non confirmatus, nullum frangit præceptum. Ergo nullum committit peccatum. Videretur dilectus evidens ex supra dictis; nam ex eo, quod non detur præceptum confirmationis per se loquendo, inferunt non esse venialem ejus omissionem, Petrus de Ledesma, M. Serra, M. Nuno, Ludovicus de S. Juan, & plures alii supra citati: ergo ex eo quod nullum detur præceptum prohibens recipere ordines, non præcedente confirmatione, inferunt similiter non esse venialem ante confirmationem illos recipere. Idem hanc partem consequenter ad superius dicta defendit Granado tract. 4. disp. 1. n. 9. Et non improbat illud refertens Leander à Sacram. supra quæst. 8. Nec potest, me iudice, aliter negari, quam asserendo peccatum mortale committi, quia si in Concilii verbis continetur præceptum non recipiendi ordines, non præmissa confirmatione, cum mater a sit gravis: nequit non sub lethali obligare: si autem verba Concilii consilium tantum contineant, nullum erit peccatum adhuc veniale, quia agere contra consilium, ne veniale quidem est. Dicere autem dari præceptum, sed materiam esse levem, non video, quo fundamento dici possit; quia res prohibita gravissima est, nempe ordinis suscipio, quæ quidem, admissio præcepti, prohibetur non præmissa confirmatione, sicut non præmissa contritione, seu confessione peccati lethalis. Nec apparet cur accipere ordines majores, non susceptis minoribus, sit materia secundum omnes, non verò ordines suscipere, non suscepto Sacramento Confirmationis: cum utrobique (ut ipsi contendunt) sit præceptum prohibens, & insuper sit de fide, confirmationem esse Sacramentum, quod de ordinibus minoribus plures negant. Dicendum ergo est, aut nullam esse culpam ordines, etiam majores suscipere, non præmissa confirmatione, aut esse gravem.

12. Unum hic adverte M. Martinum de Ledesma tom. 1. in 4. sentent. quæst. 13. artic. 12. exilimate non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, quod unctio adhibeatur in fronte, ibi: *Nota, quod puto, non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, ut in fronte conferatur. *Cui consentit M. Victoria in Summ. de Confr. q. 18. Verum hanc opinionem esse plus quam temerariam, & oppositam esse de fide, dicit Basilus de Leon in Praelectione de Sacram. Confirmationis, p. 2. cap. 5. nu. 5. Quia apertissime constat non solum ex usu Ecclesie, & ex auctoritate PP. sed ex Innocentio III. in cap. unico de sacra Unctione, & ex Concilio Florentino decreto de Armenis, ibi: *Idem in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus injungitur, ne Christinomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum.

Part. II.

Propter quod crucis signo signatur. *Et ita tradit D. Thomas 3. p. q. 72. art. 9. & communiter Theologi. Quapropter Suarez 3. p. to. 3. q. 72. art. 4. disput. 33. sect. 3. dicit, oppositam sententiam non solum esse falsam, sed valde temerariam. Quod Bellarm. cap. 8. Prop. 4. ex pluribus Summis Pontificibus, & Conciliis comprobatur, & sequuntur Aegidius, Fjlliucius, Valentia, Layman, Nugnus, Sotus, & alii, apud Leandrum tom. 1. tract. 3. disp. 3. q. 5.

QVÆSTIO XII.

Virum atas ad ordines requisita computari possit à die conceptionis?

S. I.

Authores & fundamenta partis affirmati-væ.

1. **A**tatem ad ordines statuit Trident. sess. 23. cap. 12. ubi ad Subdiaconatum vigesimum secundum, ad Diaconatum vigesimum tertium, ad Præbiteratum vigesimum quintum (inceptum, scilicet) annum exigat, ut communis Theologorum sententia, & Episcoporum praxis exponit. Difficultas ergo est, à quo tempore atas hæc computari debeat.

2. Non defecere Doctores, qui à die conceptionis (id est, animationis fetus) computari posse existimarint, quos suppresso nomine refert P. Joannes Præpositus in 3. p. de Sacram. Ordinis, quæst. unica, dub. 17. nu. 166. Quam sententiam P. Thom. Sanchez tom. 2. consil. lib. 7. cap. 1. dub. 3. n. 8. attribuit Glossæ, & Mandolio, dicens: *Nota, quod Glossa regula 17. Cancellaria, dicit aratis annos computandos esse à die conceptionis, si id utile sit ei, de cujus ætate agitur, &c. Idem Mandosius de ætate minor. cap. 1. nu. 25. *Et eam tenet Sfortias Oddo tract. de restit. in integrum, p. 1. quæst. 2. art. 7. n. 48.

3. Probat primò. Quia jure civili à die conceptionis computatur: ut multis evincit Mandosius ubi supra. *Ex quibus concludit num. 441. *Conceptus, quoad commoda pro nato generaliter habetur. *Et confirmatur ex l. qui in utero 7. ff. de statu homin. ubi Juriscons. sic habet: *Qui in utero est, perinde est, ac si in rebus humanis esset: custoditur, quoties de commodis ipsius partus quaeritur. *Sunt etiam aliæ leges huic similes, l. qui in utero 26. ff. eod. tit. l. quod dicimus 231. ff. de verb. significat. l. 2. §. Qui autem, ff. de excusat. tutorum, l. cum quidam 30. §. 1. vers. Et in eo venire, de acquirend. hered. *Quibus, & aliis juribus aperte probatur, in utero existentem pro nato haberi, quoties de ejus utilitate agitur. *Sic Didacus Yañez Faxardo in tract. de legitim. per subsequens matrimonium, fol. 18. num. 33.

4. Secundò probatur ex rex. in l. nuper, C. de nat. liber. ubi dicit Imperator. *Hoc favore facimus liberorum, ut editionis tempus statuamus esse inspectandum; (attende) exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas exoptulat. *Ergo universaliter hæc regula observanda est, ut ait Faxardo ubi supra. *In quibus verbis, inquit, demonstravit, quod homo dum in utero est, pro nato habetur, in rebus sibi utilibus.*

Pp

5. Tærio